



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 94. Hujus Doctoris opera.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Sæcul. XVI. Deo reddidit Hic vir inter ævi Doctores eruditione, ac in rebus discernendis A.C. 1571. judicii acie longe præstantissimus audit; nam in sacrorum Canonum, ac Ecclesiasticæ disciplinæ peritia apprime versatus, insuper haud peregrinus erat in profanis etiam literis: præterea latini sermonis elegantiam cum ejusdem idiomatis eloquentia, ac Majestate mire consociabat, ejusque opera eximia concinnitate, ac rationum soliditate celebrantur.

§. XCIV.

Hujus Doctoris opera.

Hic idem Doctor in sua Parochiali Ecclesia ad sanctum Cosmam sepultus requiescit, ubi etiam funebris ejus inscriptio visitur: porro is omnes pene libros suos, scriptosque codices Lotharingio Cardinali reliquerat, quos inter præcipui erant. I. Commentarii in Epistolas Divi Pauli ad Timotheum, & Titum, qui in duas partes divisi eruditis abundant digressionibus, in quibus graves enuclent quæstiones circa Hierarchiam, & Ecclesiæ disciplinam; eorum que prima pars Cardinali Lotharingio nuncupata cernitur. II. Tractatus de clandestinis matrimoniis, ubi demonstrare nititur, quod Filii familias insciis, & invitis Parentibus

Sæcul. XVI,
A. C. 1571.

bus, aliisque solemnitatibus matrimo-
nium valide contrahere nequeant. III.
Sex Libri, in quibus agit de Continen-
tia, Sacerdotum coelibatu, Bigamia,
viduitatis statu, & de votorum con-
ditione, necnon de cunctis continentiae
votum concernentibus, item de voto
solemni, & simplici, denique de con-
tinentia conjugatorum, qui ex mutuo
consensu illam servant. IV. Quinque
libri de adoratione Eucharistiae. V.
Tractatus de Missa publica, & privata,
ubi ostendit, quod antiquitus Missae
privatae non fuerint dictae, in quibus sci-
licet fideles non interfuerunt, ac sacram
Synaxin non receperunt. VI. Sermo
de officio Pastorum in Bellovacensi Con-
cilio Anno Christi millesimo quingente-
simo trigesimo quarto habitus. VII.
Alia oratio de pedum lotionem, quam
Hebdomadae sanctae feria quinta Pari-
siis in Ecclesia ad Beatam Virginem
Anno Incarnationis Dominicæ millesi-
mo quingentesimo trigesimo septimo pro-
nuntiabat. VIII. Epistola ad Guiliel-
mum Ruzeum Caroli IX. Confessarium
de institutione Principum IX. Sermo
de Franciae Liliis in die sancto Ludo-
vico sacra in Collegio Navarrico decla-
matus. X. Tractatus contra eos, qui
caelos esse animatos propugnant. XI.
Alius de triplici languore spirituali.
Hist. Ecclesiast. Tom. XLVIII. Uu XII.

Sæcul. XVI
A.C. 1571.

XII. Scriptum de profectu ex gentili-
um librorum lectione percipiendo.
XIII. Plura opuscula carmine elegiaco
concinnata. XIV. Tractatus de origi-
ne, antiquitate, Auctoris, atque
usu Collectarum. Denique scripsit quos-
dam Gallicos tractatus, ex quibus ce-
lebriores sunt isti I. de institutione Chri-
stiani Principis, II. duæ orationes so-
næres, III. quædam orationes, & ho-
melix, præter Apophtegmata Eccle-
siastica, opera dogmatica, & alia quæ-
dam opera.

§. XCV.

*Joannes Genesius de Selpulveda
mortuus.*

*Nicol. An-
ton. Bib-
lioth. Hisp.
Dupin t. 16.
pag. 113.*

Pariter hoc anno Joannes Genesius Se-
pulveda Cordubæ in Hispania An-
no Christi millesimo quadringentesimo
nonagesimo primo natus anno ætatis
sux octogesimo primo obiit. Is erat
Salmanticæ Canonicus, qui cum Ari-
stotelis libros singulari studio pervolve-
ret, latinam ejusdem Auctoris versio-
nem, minus tamen elaboratam una-
cum adnotationibus edidit. Jam alibi
sermonem ingessimus de illius contro-
versia contra Bartholomæum de las Ca-
ses, nam ille sæpe apud Cæsarem ma-
ximam Hispanorum in Indiis avaritiam,
crudelitatem, vitæque licentiam incu-
fabat,